

- A** reddit naturam. ideo eorum qui otiosam degunt vitam, vrinae minimum tinguntur bile. aliter vero accidit ijs, qui in labore viuunt, aut irascuntur, aut alio modo animi passionibus torquentur. Quamdiu enim passionibus illae calorem accendunt in corpore, & subest humor qui accendi potest, tamdiu bilis procreatur, & vrinae flauae & igneae redduntur: deficiente vero humore, languescente postea calore, decolores rursus reddi incipiunt. eo modo in inedia & vigilia per initia, vrinae color intenditur, postea vero minuitur. Sic sane in febris accidit: nam in morbi principio antequam calor ex humoribus procreauerit bilem, vrinae minguntur minus coloratae, aut etiam candidae, vt in principio accessione tertianae febris: postea vero vigente calore igneo, flauae, & ruffae apparent vrinae, demum procedente concoctione, & remissa acutiae caloris, vrinae subflauae & pallidae minguntur; vt in declinatione febrium fieri apparet. Caeterum in crapula ab initio aquosae, nec postea vnquam mediocrem calorem recipiunt vrinae, quia calor a copia alimenti debilitatus minimum bilis gignere valet. Immoderata vero alimenti copia antequam bilis generatio ipsa sit facta, merito vrinae fiunt candidiores: postea vero pro ratione bilis, quae gignitur ex natura alimenti & ipsius caloris plus vel minus acris, vrinae conspiciuntur vario colore plus vel minus. Igitur omnes causae quae dicuntur vrinam praedictis coloribus inficere, id faciunt quia bilem hanc vel illam gignant, aut eam parciolem aut copiosiolem, vel quod genitam misceant plus vel minus cum vrina. Ideo enim ictericorum vrinae maxime sunt tinctae bile, quod ea portio quae in alijs solet ad intestina ferri, tota misceatur cum aquoso excremento. Quare facile erit intelligere, quomodo remotae illae causae praedictos vrinae colores immutent.

De rubea & subrubea vrina, & speciebus contentis sub rubea.
Cap. X.

- R**UBEAM vrinam scribit Auicenna dominium sanguinis ostendere, tanquam fiat admixto sanguine: Galenus vero libro primo de Crisibus tradit, fieri talem colorem ex serosa sanguinis superfluitate, addita aliqua portiuncula bilis ruffae. In libro vero de Morbis vulgaribus, id dicit fieri ab ichore sanguinis, quod alij interpretantur, tenuiorem sanguinis portionem: quandoquidem, vt aiunt, alius est sanguis qui crassior est, qui nequit cum vrina misceri. Aduersus quos illud facit, quod rupta vena aliqua, quae communitatem aliquam habeat cum renibus, plurimum sanguinis cum vrina, vel solus ipse sanguis excernitur: tanquam vrinarij meatus pateant etiam sanguini vacuando. Galeno uero respondet Actuarius, qui pugnat aduersus eos, qui a sanguine tingi urinas & rubras fieri asserunt. Cuius argumenta uidere licet, capite sexto De causis urinarum. Quod si ille intelligeret nunquam rubras fieri mixtione sanguinis, erraret: quandoquidem effuso sanguine a uenis & mixto cum urina, necesse est rubras omnino urinas fieri. De morbis ergo alijs intelligendum, in quibus urinae rubrae fiunt absque uasis alicuius laesione: in illis enim non possunt urinae rubrae fieri, nec ob tenuis, nec ob crassi sanguinis mixtionem, quum natura nunquam adeo debilitata aut irritata sanguinem excernat per illas uias. Fiunt ergo urinae rubrae in febris ob rubeam bilem, quae misceatur cum urina, quae quidem bilis ex sanguinis potius seruore, quam adustione procreatur; & propterea similima adhuc est, & ueluti ichor quidam sanguinis, & apparet gigni in sanguinis multitudine; qui cum feruet, nec satis euentilatur, huiusmodi bilem & ichorem, qui est ueluti spuma quaedam est, emittit. Et propterea recte dicebat Auicenna, tales urinas dominium sanguinis ostendere. Contingit quoque urinas fieri rubescentes, qualis est aqua in qua caro recens mactata, lota est; quales urinae apparent in hepatica dicta passione, quem colorem putarem fieri ex sanie quadam sanguinis tenuis, quae nec potuit penitus fieri bilis, nec sanguis. Caeterum subruffus color ex bile subrubea, aut rubea in minori quantitate commixta, fit, species uero rubei coloris ut roseus, purpureus, Venerius, fiunt a bile quae similem colorem obtinet: nam cum a pallido in nigrum fit mutatio, ut multi fiunt gradus medij coloris, sic necesse est bilem pallidam, quae tandem transit in nigram, medios omnes colores inducere.

De colore viridi in vrina. Cap. XI.

- V**IRIDEM colorem in urina nullus forte uidit, sed uirescentem, qui quidem nequit fieri a frigore aut calore, ut alij tradunt; neque enim solae qualitates, ut ostendimus, possunt colorem aliquem, ut uocamus, posituum efficere. Et quid obest quo minus dicamus huiusmodi colorem fieri ex mixtione bilis uiridis seu porraceae, ut uocant Medici, quam non solum in uentriculo, sed etiam in uenis, Galenus procreari scribit ex certis alimentis, qui facile in talem humorem uertuntur?